



Vos nunc Rogerius celebrat, cui cruribus hæsit
 Nescio qui pulsa non bene tabe tumor,
 Ex quo Threiciis misere perpeffus in oris
 Persephones duram sævitiem extimuit.
 Quidquid id est lenite; undisque salubribus actum
 Tyrrhenis propere mergite in æquoribus,
 Vincat ut incolumis pelidæ Nestoris ævum,
 Sæclaque Memnonii Laomedontiadæ.
 Dignior haud certe quisquam est, cui tempore nullo
 Defectura neant tempora nocte satæ,
 Illæ erebi nigræ, fatalia monstra, sorores.
 Nam quis sese illi laudibus anteferat?
 Quis mage doctrinæ niteat fulgoribus? Illum
 Præ cunctis unum suspicit Aufonia,
 Quæ puerum complexa sinu veluti bona gnatum
 Mater fraudatæ surpuit Illyriæ.
 Suspiciunt Gallique, Britannique, & genus aere
 Theutones, horum etsi laude superba sua est
 Gens quævis, plauditque pari vel Dis Nevvtono,
 Cartesiove, acri sive Leibnitio;
 Quorum ille assidue secreta arcana revolvens
 Naturæ immensum promovet imperium,
 Atque alia ex aliis, partes ingressus in omnes,
 Rerum obscura suo discutit ingenio:
 Ingenio, cujus non vim effugere ulla potis res,
 Aut cœlo, aut terris abdita deliteat.
 Nec vero Alcmenæ Mideatidis heroines
 Ille olim natus tot fera perdomuit
 Monstra per erratæ vasto telluris in orbe,
 Quot meus haud ulli cedere sueta hominum
 Rogerius portenta errorum sternere quivit,
 Dextræ non usus robore clavigeræ,
 Sed rationis ope, atque acris dia ingenii vi,
 Et passim visenda omnibus objicere

Jam